

trinae, sunt, quae ordine alphabetico procedunt: Priora incipiunt de *Miraculis divina potestate factis*, posteriora de *Adoratione et cultu Dei*. Ad priora pertinet v. g. Editio Colon. 1544. 4. quae mihi objacet, ad posteriora Codex, quem tractamus. Praeunt illum *Capitulum Tituli*, ejusque initium est: *Factum est ut offerret cayn de fructibus terrae munera domino &c.* Finis: *Explicit liber scintillarum Bede presbiteri vel secundum quosdam liber exemplorum sacre scripture Johannis de banapis*. Meminit *Quetifus T. I. Scriptt. Ord. p. 425.* dum de *Florilegio* nostro agit, *Exemplarium*, quae *Bonaventurae* aut *Guil. Peraldi* nomen praeferunt, sed, quod *Beda* tribueretur, nullum vidit.

CLXIV. VI. E. 29.

317 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 93. f. eleganter scriptus et rubricis enotatus sequentia complectitur: I. *Incipit liber acinendon* (corrupte pro *Ἀντικειμένων*) id est contra oppositorum. *Ἀντιλογίαι* sunt S. Scripturae per Interrogationes et Responfa extricatae, duobusque, non tribus, Libris comprehensae, quorum primo vetus Testamentum, secundo Novum percurritur. *Liber I.* sic orditur: *Interrogatio. Cum in Genesi Septem Primi dies legantur &c. Responso. Cur (qui) superius per dies singulos condita omnia retulit &c.* Ad calcem minio: *Explicit liber. I. De ueteri testamento. Incipit secundus De nouo.*
Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

Initium hujus: *Interrogatio. Quomodo Christus dicit. attendite ne iusticiam uestram faciatis &c. Responso. Quid ergo quod opus uestrum. et ita faciendum est. ne uideatur &c. Ultima: ibi non est uirga necessaria sed spiritus lenitatis. Expliciunt Interrogationes. Et Responsoes Ex Veteri Et Novo Testamento.* Opus hoc *Salviano* suo subiectum primus in lucem extulit *J. Alexander Brassicanus* noster *Basileae 1530. f. incerto*, ut fert *Titulus, Autore*; non tamen nostro e *Codice*, III. enim ille *Libros* facit, tertium ab *Interrogationibus in Pauli Epistolas* exorsus; praeterea in titulo *Anticimenon* legit. Decennio post (sed fortasse jam 1533.) vulgatum esse *Coloniae 8.* ex antiquo *Fuldensi* Codice tradit *Andr. Schottus*, qui simul de Autore sollicitus *Ildefonsum Tolet. de Scriptt. Eccl.* excitat, in cuius *Adp. a Felice Ep. Toletano* subiecta de *Juliano* pariter *Tolet. Episcopo* ita habetur: *Scriptit librum de contrariis, quod Grace Ἀντικειμένων* voluit titulo adnotari: qui in duobus diuisus est libris, ex quibus primus dissertationes continet veteris Testamenti, secundus novi. *Adi Fabricii Bibl. Eccl. l. cit. et Bibl. PP. Lugdun. T. XII. p. 647.* ubi Opus aperte *Juliano Toletano* datur. Rem tamen dubiam reddit alter *Scriptt. Eccl. Biographus* aetate, ne quid diffimulem, *Felicé* quidem inferior *Petrus Diaconus*, qui C. 12. de *Viris illustr. Casinens.* de *Berthario* loci Abbate ita narrat: *Librum*

brum quoque *difficilium sententiarum tam veteris quam novi testamenti patravit, ipsumque Anticimenon appellavit. Consentit Leo Ostiensis. L. I. C. 32. his verbis: Cujus (Bertharii) et Anticimenon de plurimis tam veteris quam novi Testamenti quaestionibus hic habetur. Quin J. B. Marus in not. ad Petri Diac. c. cit. addit: Librum hunc manu exaratum literis Langobardicis sub nomine Bertharii in Bibliotheca Aniciana. Hispanorum itaque videtur esse, productis vetustis Exemplaribus Ἀντιμειμενα nostra Juliano suo contra Bertharium vindicare. Illum Scriptores Seculo VII. hunc IX. adsignant.*

II. fol. 69. sequitur: *B. Abbatis sententia de officiorum concordia. Bernhardi vetus Possessor thecae anteriori Codicis adscripta, sed tu lege Bernonis; est enim Excerptum ex Bernonis Abb. Augiensis, qui an. 1048. vitam clauisit, Libro de Officio Missae, seu, ut apud Hittorpium p. 419. inscribitur, de quibusdam Rebus ad Missae Officium pertinentibus, atque adeo Caput V. non tamen integrum hujus Libri, quo Autor exemplo XXII. Dominicarum, quae a Pentecoste decurrunt, ostendere conatur, Missae partes, puta: Introitum, Graduale, Versum, Orationem, Evangelium, Offerendam &c. mire ad idem pium argumentum conspirare. Tractat vero Codex noster materiam hanc uberius, quam vel apud Hittorpium cit. vel Bibl. PP. Lugdun. T. XVIII. p. 56. invenias. Initium nobis est: Do-*

minica I. Domine in tua. Gr. Ego dixi. V. Beatus qui intellegit. Off. Intende voci. Com. Narrabo omnia. Nonne bis uocibus uidetur tibi propheta in uoce pauperis lazari uel in persona sanctae ecclesiae hoc quidem tempore (ob Schisma trium Paparum?) pauperis et afflictae ad deum proclamare &c. Ab hac Dominica in Editis statim ad Quintam transfilitur, Noster etiam interjectas expendit. Et sic porro plura alia se offerunt discrimina. Terminatur Excerptum: super uno peccatore penitentiam agente.

III. fol. 74. Incipit de *Infantia Salvatoris. Inscrubendum potius erat: De Natiuitate Mariae. Maxima enim Fabulae pars agit de Joachim et Anna, de Virginis nativitate et educatione, de ejus et Joseph conjugio, quibus Christi nativitas, Magorum adoratio, et iter in Aegyptum subjungitur. Initium est: Erat Vir in Hierusalem cui nomen erat Joachim ex tribu iuda et ipse erat pastor ouium suarum. timens deum cum omni familia sua &c. Finis: Non post multum tempus dixit angelus ad ioseph. Reuertere in terram iuda mortui sunt enim qui querebant animam pueri. In Catal. Libb. rarior. Bibliothecae Canon. Regular. Novacellensis in Tyroli notatur Historia Pulchra de S. Joachim et Anna f. l. et a. fed Literis, ut videtur, Bämlieri Augustani f. quam nostram praesentem esse putem. Ceterum, qui Evangelium de Natiuitate Mariae, Protoevangelium Jacobi et Evangelium Infantiae Christi legerit, quae J. Alb. Fa-*

bricius Cod. Apocryph. N. T. P. I. a pag. 1. edidit, nihil desideret amplius; ex his enim Narratio nostra, tanta, quanta, confarcinata est.

IV. fol. 83. p. 2. *Incipiunt Gesta Salvatoris Que invenit Theodosius Imperator Magnus in Codicibus Publicis. In aliis Codd. inscribuntur Evangelium Nicodemi aut Acta Pilati, extantque apud mox cit. Fabricium a pag. 238. Initium nobis est hujusmodi: Factum est in anno X^o VIII^o Imperatoris tyberii Cesaris imperatoris romanorum et herodis filii herodis. imperatoris galilee. anno. X^o VIII^o principatus eius. VIII. Kal. apr. quod est. XXI. die mensis martii. consulatu rufini et rubellionis in anno. CC^o. III^o olympiadis. sub principatu sacerdotum iudeorum Joseph et cayphe. post crucem et passionem domini historiatus est. Nicodemus acta a principibus sacerdotum et reliquis iudeis mandavit litteris hebraicis. Initium istud tam T. I. Orthodoxograph. p. 643. quam apud Fabric. cit. legitur ad calcem Narrationis, ibique pro consulatu rufini et rubellionis manifesta corruptione habetur Consultatorie Revelationis. Cadit vero Consulatus L. Rubellii Gem. et C. Rufii Gem. in priorem partem A. Chr. 29. unde si etiam Tiberii imperium ab a. 12. quo eum Collegam adsumsit Augustus, computes, non tamen annos XIX. sed XVIII. conficies. Sed enim in re undequaque subleste fidei supervacaneum est calculis agere.*

Narratio ipsa incipit: *Annas et Caiphas. et Somne (al. Summas) et datham Gamaliel. Judas. Leui. Neptali &c. et in Cod. his verbis abrumpitur: et mulieres que secute eum erant a galilea in iudeam. Ad eruditissimas Fabricii de ea curas id addo, extare tam in Bibliotheca Aug. quam in aliis mihi notis admodum vetustam ejus Editionem f. l. et a. f. min. inscriptam: Nycodemi Euangelium sue Historia de gestis a principibus Sacerdotum de passione et resurrectione domini. que inventa est litteris hebraicis a Theodosio Magno Imperatore in iberusalem in pretorio pontii pilati in codicibus publicis.*

V. fol. 89. *Incipit de assumptione Sanctę Marię. Hoc tenore: Miletus (Melito) Servus christi Episcopus Ecclesie sardiniensis (Sardensis in Lydia) uenerabilibus in domino fratribus laodicia constitutis in pace christi salutem. Sepe scripsisse me memini de quodam leucio qui nobiscum cum apostolis conuersatus alieno sensu et animo temerario discedens a uia iusticie plurima de apostolorum actibus libris suis inseruit &c. Melitonis Asiani Sardium Ep. Scripta enumerat Hieronymus de Vir. illustr. c. 24. omisso praesenti, quod jam Gelastus I. an. 496. in Concilio Rom. et Sec. VIII. Beda Retract. in Act. Apost. c. 7. ἀπονευφον declaravit, id, quod etiam in Scriptt. Eccl. c. 14. adnotat Tritemius. Hoc tamen non obstante Bibliothecas PP. invasit, legiturque in Edit. Lugdun. T. II.*

P. 2. p. 212. a quo Exemplo nostrum non raro variat. Egit de eo *Lambecius* *ò maxagirus* cum in *Diario Itin. Cellens.* p. 196. tum *Comment. L. VIII.* p. 189. edit. *Kollar. col.* 398. Item *Fabricius Cod. Apocr. N. T. P. III.* p. 533. quo Lectorem remitto, id observare contentus, *Pseudomelitonem* nostrum tam bene e *Fabrica Graeca* prodire potuisse, quam ab eo diversum ejusdem argumenti *Opuſculum Johanni Apostolo* sive *Theologo* tributum, cum et istud jam diu latine extiterit. Confer *Fabricium p. cit.* Addo: licet in *Cod. nostro* prave scriptum sit *Sardiniensis* pro *Sardensis*, extitisse tamen etiam *Melitonem Sulcitanum* in *Sardinia* Episcopum, cujus mentio in *Act. SS. Bollandi Kal. April. T. I.* p. 11. Vide et *Cod. CCXCIII.*

CLXV. VIII F 8

464 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 46. 4. bene scriptus, et rubricis distinctus plura diversis manibus exarata complectitur, et I. quidem: *Incipit epistola Abbini (Albini, Alcuini) magistri ad singulum presbiterum,* hoc tenore: *Dilectissimo In christo fratri Singulfo presbitero. albinus salutem. Quia individuus et fidelis michi karitate (Charissime al.) frater socius tanto tempore fuisti &c.* Post Epistolam: *Incipiunt super Genesim obscure inquisitiones. et utiles explicationes. Ita: Interrogatio. Quomodo conuenit*

quod in Genesi legitur. requieuit deus die septimo &c. Extrat *Opuſculum* edit. *Ratisb. 1777. T. I. P. 2. p. 305.* collatum cum *Mss.* quibus *Codex* noster probe consentit, sed paullo ante finem in his verbis: *In persecutionis angore — — abrumpitur.*

II. fol. 35. Narratio fabulosa absque titulo de *Johanne Indorum* Patriarcha pro suscipiendo *Pallio Byzantium* adveſto, atque inde cum *Legatis Calixti II.* anno ejus IV. (1122.) *Romam* digressio, ubi in *Palatio Lateranensi* praesente *Calixto*, Clero et Populo de *Patriarchali Sede* sua *Hulna*, de adſito, aquisque circumdato Monte cum *Ecclesia S. Thomae* Apostoli, de Corpore ejus ibidem erecto in argentea *Concha* stante, et festa sua luce *Populis* *Eucharistiam* distribuente mira retulit, quae contractiora legas in *Chronico Alberici T. II. Access. Hist. Leibnitii Hannov. 1698. p. 243.* ad annum praedict. et in *Chronico magno Belg.* quod *Albericum* hic sequitur. Pluribus praefatur *Noster* ita exorsus: *Temporibus antiquis consuetudo fuisse legitur rerum bonarum studia memorie mandari — Vnde arduum aggredientes. licet indigni uideamur. tamen ne per incuriam posteros lateret. ea quae de apostolo thoma ualde miranda nostris temporibus rome recitata sunt. posteris significare curauimus. Temporibus itaque calixti secundi &c.* Sunt praeterea, quae ex eo in *Leibnitii* Exemplo emendes. Ita civitas